

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Ionae Versiones, Polonica Et Bohemica

Apvd Protestantas Hodie Receptas, Praemissa Notitia Versionis Vtrivsqve,
Cvm Originali Textv Hebraeo Collatae : Dissertatio Historico-Critico-Sacra

...

Ad Diem XII. Nov. Ann. MDCCLIX. ... Examinandam Commilitonibvs Tradit

Carpow, Paul Theodor Carpow, Paul Theodor

Rostochii, [MDCCLIX.]

VD18 90522079

Q.D.B.V!

urn:nbn:de:gbv:45:1-10388



Q. D. B. V!



Præmissâ, in Tractationis hujus historico-critico-sacræ P.
Ima, Versionum, Ecclesiis Protestantibus Polono-
rum Bohemorumque hodie usitatarum, Notitiâ;
promissam, speciminis illarum exhibendi ergo,
Prophetiæ JONÆ Collationem a nobis factam, BONO cum
DEO, per Partes quasdam nunc exhibemus. Monstrabit ea,
quod erat probandum, notabilissimam nimirum *Convenientiam*
Utriusque Versionis, eandemque quidem secundo *inter Semet*
ipsas, primario autem et ex professo *cum Textu Originali* Hebræo,
in plerisque; hincque tanquam a potiori, salvis in iisdem emendan-
dis adhucdum quibusdam, metiendam Interpretationum harum,
certe haud minimam præ aliis etiam publicis non paucis, præstan-
tiam inibi a nobis adfertam. Scopo autem huic primario ut fieret
satis, integra Versionum harum versione Latina judicavimus
haud adeo esse opus; sed selegimus potius et maxime, sepositis
reliquis, talia, quibus exerceri vidimus Commentatores et quibus
explorari queant Interpretum pietas, eruditio, attentio, industria ac
ἀκριβεια, et ut verbo dicamus, Dotes.

A 2

Jama



Jam vero *Collatio* Versionum cum Originali institui potest aut *Historice* tantum, aut *Critice* insimul. Prius nominata methodus etsi inutilis nequaquam aut reprobanda ac intermittenda prorsus, plus tamen habet facilitatis ac commoditatis pro Scribente, tanto magis autem difficultatis incommodique secum vehit pro Legente; præcipuo, *συνεργεως* dijudicationisque onere ad huncce ita devoluto. Recepimus itaque hic illud quoque in nosmet, majus ut redundaret inde commodum Lectoribus, fere ubique omne atque totum, tam qua monstrandos nævos (qui tamen adsunt rariores) quam virtutes, idemque concisus nunc edisserendo, nunc contra, re ad id invitante aut prorsus postulante, proluxius; et, summatim ut dicamus, ita, ut qua plurima potioraque loca *Commentarii in JONAM ipsum* instar esse possit simul *Collationis* hicce noster labor, quem favente DEO exordimus et absolvemus; unicum hoc adhuc monentes, nimir. ob typorum hac in parte imperfectionem inevitabiles prorsus fuisse quasdam ab *Orthographia* Polonorum atque Bohemorum deviationes, quæ itaque inter legendum ne quæso offendant, uti nec morabuntur multum, ejus peritos.



AD JONAE

Capit. I. v. 1.

וַיִּהְיֶה Verſio POLONICA habet: *1 ſtalo ſie*, BOHEMICA
1 ſtalo ſe, h. e. ET *contigit* (vel, *factum eſt*).

De interpretatione literæ ך̄ vocis ויהי, a qua voce incipiunt etiam libri ſacri Joſuæ, Judicum, Samuelis uterque, Jezechielis, Ruthæ, et Eſtheræ, parum convenit inter eruditos. Et ſic ſpecialim etiam quod ad JONÆ librum, variantes tot apud Interpretes ejus occurrunt ſententiæ, ut difficilis pene fit laboris earundem in certas quasdam claſſes diſtributio, præfertim cum ambigue haud raro ſint dictæ. Sunt qui exiſtimant, Vay hocce eſſe mere temporis converſivum, cætera non ſignifica-